


*Et sic dicitur etiam per omnes Horas diei (sed sine cantu).*

*Cum incipitur* ℣. Christus fáctus est. *omnes genuflectunt, et eo finito, dicitur* Pater noster. *totum sub silentio. Postea Ps.* Miserére. 563. *aliquantulum altius.*

*Quo finito, sine* Orémus. *dicitur simili voce.*

### Oratio.

RESpice, quaésumus Dómine, super hanc famíliam tuam, pro qua Dóminus noster Jesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium, et crucis subire torméntum.

*Sed* Qui tecum vivit. *dicitur sub silentio. — Finita Oratione, fit fragor et strepitus aliquantulum : mox profertur candela accensa de sub Altari, et omnes surgunt, et cum silentio discedunt.*

## AD HORAS.

*Tertia, Sexta et Nona, dictis secreto* Pater noster, Ave María, *absolute inchoantur a Psalmis ut in Festis; quibus finitis dicitur* ℣. Chrístus fáctus est, etc., *flexis genibus, et dicitur secreto* Pater noster. *Ps.* Miserére. *Oratio.* Réspice. *ut supra (totum sine cantu). In hoc triduo non annuntiatur aliquid de Martyrologio, nec dicitur* Pretiósa.

## AD MISSAM.

(M.M. ♪ = 152.)

Intr. 4. (*mi-la*)









*Dicitur* Glória in excélsis. *Et tunc pulsantur campanae; et deinceps non amplius usque ad Sabbatum sanctum.*

### Oratio.

DEus, a quo et Judas reátus sui poenam, et confessiónis suae latro praémium sumpsit, concéde nobis tuae propitiatiónis efféctum : ut, sicut in passióne sua Jesus Christus Dóminus noster divérsa utrísque íntulit stipéndia meritórum; ita nobis, abláto vetustátis erróre, resurrectiónis suae grátiam largiátur. Qui tecum vivit.

*Et haec Oratio tantum dicitur.*

### Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Corinthios. *1. Cor. 11.*

FRatres : Conveniéntibus vobis in unum, jam non est domínicam coenam manducáre. Unusquísque enim suam coenam praesúmit ad manducándum. Et álius quidem ésurit : álius autem ébrius est. Numquid domos non habétis ad manducándum et bibéndum? aut ecclésiam Dei contémnitis, et confúnditis eos qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? In hoc non laudo. Ego enim accépi a Dómino, quod et trádidi vobis, quóniam Dóminus Jesus in qua nocte tradebátur, accépit panem, et grátias agens fregit, et dixit : Accípite, et manducáte : hoc est corpus meum, quod pro vobis tradétur : hoc fácite in meam commemoratiónem. Simíliter et cálicem, postquam coenávit, dicens : Hic calix novum testaméntum est in meo sánguine : hoc fácite, quotiescúmque bibétis, in meam commemoratiónem. Quotiescúmque enim manducábitis panem hunc, et cálicem bibétis, mortem Dómini annuntiábitis donec véniat. Itaque quicúmque manducáverit panem hunc, vel bíberit cálicem Dómini indígne, reus erit córporis et sánguinis Dómini. Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de cálice bibat. Qui enim mandúcat et bibit indígne, judícium sibi mandúcat et bibit : non dijúdicans corpus Dómini. Ideo inter vos multi infírmi et imbecílles, et dórmiunt multi. Quod si nosmetípsos dijudicarémus, non útique judicarémur. Dum judicámur autem, a Dómino corrípimur, ut non cum hoc mundo damnémur.




✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem. *Joañ. 13.*

Ante diem festum Paschae, sciens Jesus quia venit hora ejus, ut tránseat ex hoc mundo ad Patrem : cum dilexísset suos, qui erant in mundo, in finem diléxit eos. Et coena facta, cum diábolus jam misísset in cor ut tráderet eum Judas Simónis Iscariótae : sciens quia ómnia dedit ei Pater in manus, et quia a Deo exívit et ad Deum vadit : surgit a coena, et ponit vestiménta sua : et cum accepísset línteum, praecínxit se. Deinde mittit aquam in pelvim, et coepit laváre pedes discipulórum, et extérgere línteo, quo erat praecínctus. Venit ergo ad Simónem Petrum. Et dixit ei Petrus : Dómine, tu mihi lavas pedes? Respóndit Jesus, et dixit ei : Quod ego fácio, tu nescis modo, scies autem póstea. Dicit ei Petrus : Non lavábis mihi pedes in aetérnum. Respóndit ei Jesus : Si non lávero te, non habébis partem mecum. Dicit ei Simon Petrus : Dómine, non tantum pedes meos, sed et manus, et caput. Dicit ei Jesus : Qui lotus est, non índiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes. Sciébat enim quisnam esset qui tráderet eum : proptérea dixit : Non estis mundi omnes. Postquam ergo lavit pedes eórum, et accépit vestiménta sua : cum recubuísset íterum, dixit eis : Scitis quid fécerim vobis? Vos vocátis me Magíster et Dómine : et bene dícitis, sum étenim. Si ergo ego lavi pedes vestros, Dóminus et Magíster : et vos debétis alter altérius laváre pedes. Exémplum enim dedi vobis, ut quemádmodum ego feci vobis, ita et vos faciátis. Credo.






Secreta.

Ipse tibi, quaésumus, Dómine sancte, Pater omnípotens, aetérne Deus, sacrifícium nostrum reddat accéptum, qui discípulis suis in sui commemoratióne hoc fíeri hodiérna traditióne monstrávit, Jesus Christus Fílius tuus Dóminus noster : Qui tecum.

*Praefatio de Cruce*, 7. Agnus Déi *dicitur de more, sed Pax non datur.*

*Hodie Sacerdos consecrat duas Hostias, quarum unam sumit, alteram reservat pro die sequenti, in quo non conficitur sacramentum : reservat etiam aliquas particulas consecratas, si opus fuerit pro infirmis : Sanguinem vero totum sumit : et ante ablutionem digitorum ponit Hostiam reservatam in alio calice, quem Diaconus palla et patena cooperit, et desuper velum expandit, et in medio Altaris collocat. Deinde fit communio et complétur Missa.*




### Postcommunio.

Reffécti vitálibus aliméntis, quaésumus Dómine Deus noster : ut quod témpore nostrae mortalitátis exséquimur, immortalitátis tuae múnere consequámur. Per Dóminum.

*Dicitur* Ite missa est, *et datur benedictio et legitur Evangelium S. Joannis.*

¶ *Finita Missa, fertur Hostia, ut supra reservata, ad locum praeparatum, ubi pro crastino servanda est. Interea dum fit Processio, cantatur Hymnus* Pange lingua. *ut infra,* **810**. *Postea in Choro dicuntur Vesperae sine cantu.*

## AD VESPERAS.

*Vesperae, dicto secreto* Pater noster, Ave Maria, *inchoantur absolute a prima Antiphona.* [1]

1. Ant. Cálicem † salutáris accípiam, et nómen Dómini invocábo.

### Psalmus 115.

Crédidi, propter quod locútus sum : * égo autem humiliátus sum nimis.
Ego dixi in excéssu méo : * Omnis hómo méndax.
Quid retribuam Dómino, * pro ómnibus quae retríbuit míhi?
Cálicem salutáris accípiam : * et nómen Dómini invocábo.
Vóta méa Dómino réddam coram ómni pópulo éjus : * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum éjus :
O Dómine quia égo sérvus túus : * égo sérvus túus, et fílius ancíllae túae.

[1] Melodia pro sequentibus Antiphonis olim usurpata, et in editione typica Antiphonalis Romani restituta, in Appendice reperietur.



Dirupísti víncula méa : * tíbi sacrificábo hóstiam láudis, et nómen Dómini invocábo.
Vóta méa Dómino réddam in conspéctu ómnis pópuli éjus : * in átriis dómus Dómini, in médio túi Jerúsalem.

*Ant.* Cálicem salutáris accípiam, et nómen Dómini invocábo.

2. Ant. Cum his † qui odérunt pácem, éram pacíficus : dum loquébar íllis, impugnábant me gratis.

### Psalmus 119.

Ad Dóminum cum tribulárer clamávi : * et exaudívit me.
Dómine líbera ánimam méam a lábiis iníquis, * et a língua dolósa.
Quid détur tíbi, aut, quid apponátur tíbi, * ad línguam dolósam?
Sagíttae poténtis acútae, * cum carbónibus desolatóriis.
Heu míhi! quia incolátus méus prolongátus est : habitávi cum habitántibus Cédar : * multum íncola fúit ánima méa.
Cum his qui odérunt pácem, éram pacíficus : * cum loquébar íllis, impugnábant me gratis.

*Ant.* Cum his qui odérunt pácem, éram pacíficus : dum loquébar íllis, impugnábant me gratis.

3. Ant. Ab homínibus † iníquis líbera me Dómine.

### Psalmus 139.

Eripe me Dómine ab hómine málo : * a viro iníquo éripe me.
Qui cogitavérunt iniquitátes in corde : * tóta die constituébant praélia.
Acuérunt línguas súas sicut serpéntis : * venénum áspidum sub lábiis eórum.
Custódi me Dómine de mánu peccatóris : * et ab homínibus iníquis éripe me.
Qui cogitavérunt supplantáre gréssus méos : * abscondérunt supérbi láqueum míhi.
Et fúnes extendérunt in láqueum : * juxta íter scándalum posuérunt míhi.
Dixi Dómino : Déus méus es tu : * exáudi Dómine vócem deprecatiónis méae.
Dómine, Dómine virtus salútis méae : * obumbrásti super cáput méum in díe bélli :
Ne trádas me Dómine a desidério méo peccatóri : * cogitavérunt contra me ne derelínquas me, ne forte exalténtur.
Cáput circúitus eórum : * lábor labiórum ipsórum opériet éos.
Cádent super éos carbónes, in ignem dejícies éos : * in misériis non subsístent.
Vir linguósus non dirigétur in térra : * vírum injústum mála cápient in intéritu.
Cognóvi quia fáciet Dóminus judícium inopis, * et vindíctam páuperum.
Verúmtamen jústi confitebúntur nómini túo : * et habitábunt récti cum vúltu túo.

*Ant.* Ab homínibus iníquis líbera me Dómine.

4. Ant. Custódi me † a láqueo quem statuérunt mihi, et a scándalis operántium iniquitátem.

### Psalmus 140.

Dómine clamávi ad te, exáudi me : * inténde vóci méae cum clamávero ad te.
Dirigátur orátio méa sicut incénsum in conspéctu túo : * elevátio mánuum meárum sacrifícium vespertínum.
Póne Dómine custódiam óri méo : * et óstium circumstántiae lábiis méis.
Non declínes cor méum in vérba malítiae, * ad excusándas excusatiónes in peccátis.
Cum homínibus operántibus iniquitátem : * et non communicábo cum eléctis eórum.
Corrípiet me jústus in misericórdia, et increpábit me : * óleum autem peccatóris non impínguet cáput méum.
Quóniam adhuc et orátio méa in beneplácitis eórum : * absórpti sunt júncti pétrae júdices eórum.
Audient vérba méa quóniam potuérunt : * sicut crassitúdo térrae erúpta est super térram.
Dissipáta sunt óssa nóstra secus inférnum : * quia ad te Dómine, Dómine, óculi méi : in te sperávi, non áuferas ánimam méam.
Custódi me a láqueo quem statuérunt míhi : * et a scándalis operántium iniquitátem.
Cádent in retiáculo éjus peccatóres : * singuláriter sum égo donec tránseam.

*Ant.* Custódi me a láqueo quem statuérunt míhi, et a scándalis operántium iniquitátem.

5. Ant. Considerábam † ad déxteram, et vidébam, et non érat qui cognósceret me.

### Psalmus 141.

VOce méa ad Dóminum clamávi : * vóce méa ad Dóminum deprecátus sum.

Effúndo in conspéctu éjus oratiónem méam, * et tribulatiónem méam ante ípsum pronúntio.

In deficiéndo ex me spíritum méum, * et tu cognovísti sémitas méas.

In vía hac qua ambulábam, * abscondérunt láqueum míhi.

Considerábam ad déxteram et vidébam : * et non érat qui cognósceret me.

Périit fúga a me, * et non est qui requírat ánimam méam.

Clamávi ad te Dómine, * dixi : Tu es spes méa, pórtio méa in térra vivéntium.

Inténde ad deprecatiónem méam : * quia humiliátus sum nimis.

Líbera me a persequéntibus me : * quia confortáti sunt super me.

Educ de custódia ánimam méam ad confiténdum nómini túo : * me exspéctant jústi, donec retríbuas míhi.

*Ant.* Considerábam ad déxteram, et vidébam, et non érat qui cognósceret me.

*Capitulum, Hymnus et ℣. non dicuntur.*

### Ad Magnificat, Antiphona :

Coenántibus † autem íllis, accépit Jésus pánem, et benedíxit ac frégit dedítque discípulis súis.

*Cant.* Magníficat. 227.

### Feria Sexta.

Cum accepisset † acétum, dixit : Consummátum est : et inclináto cápite, trádidit spíritum.

*Repetita Antiphona, dicitur* ℣. Christus fáctus est, *cum reliquis ut supra ad Laudes (sine cantu).*

¶ *Sacerdos cum Ministris denudat Altaria, legendo Antiphonam.*

Divisérunt síbi † vestiménta méa, et super véstem méam misérunt sórtem.

*Ps. 21.* Déus, Déus méus réspice in me. 553. *Et repetitur Antiphona.*

### AD MANDATUM.

*Diaconus cantat Evangelium,* Ante diem festum Paschae. 542, *cum caeremoniis consuetis. Quo finito, dum Sacerdos cum Ministris lotionem pedum agit, haec subscripta cantantur.*

Ant. 3. (mi-do)



Mandá-tum nó-vum do vó-bis : * ut di- li-gá-tis



ínvi-cem, sic-ut di-lé-xi vos, dí- cit Dómi-nus. *Ps.* Be-





á- ti imma-cu-lá-ti in ví- a : * qui ámbu-lant in



lé- ge Dómi-ni.

*Et repetitur immediate Antiphona* Mandátum nóvum.

*Et sic aliae Antiphonae, quae habent Psalmos, vel Versus, repetuntur. Et de quolibet Psalmo dicitur tantum primus Versus.*

Ant. 4. (mi-la)



Postquam surré-xit Dó-mi- nus * a coé-



na, mí- sit á- quam in pél- vim : coépit la-vá- re pé-



des di- sci-pu- ló- rum : hoc exémplum re- líquit



é- is. *Ps.* Má-gnus Dómi-nus, et laudá- bi- lis ni- mis : *



in ci- vi- tá-te Dé- i nóstri, in mónte sáncto é-jus.



Postquam surré-xit.

Ant. 2. (ré-fa)



Dómi- nus Jé- sus, * postquam coená- vit



cum di- scí-pu- lis sú- is, lá-vit pé-des e- ó-rum, et á-